

ratus plangere Malachiam, quasi non sit pretiosa mors ejus, quasi non sit magis somnus, quam mors; quasi non sit mortis portus, et porta vitæ? Malachias amicus noster dormit, et ego lugeam? Luctus iste usu se, non ratione tuetur. Si Dominus dedit dilecto suo somnum, et talem somnum, in quo hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris, quid horum videtur fletum indicere? Egone fleam illum, qui letum evasit? Ille tripudiat, ille triumphat, ille introductus est in gaudium Domini sui; et ego eum plangam? Cupio mihi hæc, non illi invideo. Interim parantur exsequiæ: offertur pro eo sacrificium; connumerantur ex more omnia cum summa devotione. Stabat eminus puer, cui emortuum pendeat a latere brachium, magis illi impedimento, quam usui. Quo comperto, innui ut accederet: et apprehensam arieta manu applicavi ad manum Episcopi, et

vivificavit eam. Nempe vivebat in mortuo gratia sanitarum: et manus ejus fuit mortuæ manui, quod mortuo homini Elisæus (*IV Reg. XIII, 21*). Puer ille de longe venerat, et manum quam pendentem attulerat, sanam in patriam reportavit. Jam omnibus rite peractis, in ipso oratorio sanctæ Dei genitricis Mariæ, in quo sibi bene complacuit Malachias, traditur sepulturæ, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo octavo, quarto nonas novembris. Tuum est, Jesu bone, depositum, quod nobis creditum est; tuus thesaurus, qui reconditur penes nos. Servamus illum resignandum in tempore, quo reposcendum censueris: tantum ut absque contubernalibus suis non egrediatur, sed quem habuimus hospitem, habeamus ducem, tecum et cum ipso pariter reguaturi in sæcula sæculorum. Amen (199).

Duos de S. Malachia Bernardi sermones habes in tomo tertio.

HYMNUS DE S. MALACHIA.

(MARTENE *Amplissima collectio*, tom. I, col. 746, ex ms. Veteris-Montis.)

Nobilis signis, moribus suavis,
Meritis sanctus, inclytus triumphis,
Hodie carnis pondere levatus,
Migravit antistes.
Nec vocat viro Malachia nomen,
Angelum sonans, Angelorum signat,
Similem esse puritate vitæ,
Gloria parem.
Angelus noster civium suorum
Redditus votis, sociatus choris,
Præminet multis, cœquatur summis,
Merito quidem.
Sobrius victus, castitas perennis,
Fides, doctrina, animarum lucra,
Meritis parem cœtui permiscet
Apostolorum.
Opere vicem, animo virtutem
Tenuit horum præsul et legatus,
Ac per hoc jure etiam honorem
Vindicat sibi.

Signa si quæras, quis referre queat?
Hoc tamen dico; manifesta satis
Mortua surgens quantus in hac parte
Fuit gloriæ.
Christo regnanti sitne ulla nostri
Cura putamus, quos amavit prius
Pauperes fovit humiles spiritu,
Humilis ipse.
Absit ab illo fonte pietatis
Sorte levata segnius manare:
Absit ut spernat miseros beatus
Orphanos pater.
O Malachia, Clara-Vallis tua,
Clarior tui corporis thesauro,
Postulat supplex te tuente frui
Pace perenni.
Gloria Patri Filioque ejus,
Gloria tibi, amborum Spiritus;
Una sit tibi, quia tres sunt unum,
Una majestas.

ADMONITIO IN OPUSCULUM XIII.

692 1. *Librum de ratione Cantus, Bernardo ascriptum, mihi quondam suppeditavit piæ ac suspiciendæ memoriæ Joannes Bona, tunc congregationis suæ abbas generalis, postmodum S. R. E. cardinalis. Libro præmissa est epistola, quam Bernardi esse existimavi: at tractatum ipsum eis assignandum, quos hujus operæ subsidiarios ascivit, ut sane ipsa innuit epistola. In codice Fusniacensi idem opusculum tribuitur Guidoni Chari-Loci abbati sub hoc titulo: « Epistola Domini Guidonis abbatis Chari-Loci de Cantu. »*